

1426 tem Franciscus Sforcia fecuturum se pollicetur. Sed dum ille suam in Venetos explicat aciem, Sforcia concionabundus Pergulanum & alios hortari, ut arma caperent. Venetus Imperator, qui militem ad hos casus instructum habebat, ubi ad jactum teli venientem hostem conspiciatus est, suos, patefacta repente porta, in eum immittit. Tum Picininus neminem sibi subsidio adesse intuitus, suorum ignaviam incusans, pedem retulit, seque sine alio certamine in castra recepit. Hostes qui munitiones præsidio tenebant, suorum fuga inspecta, portis duabus Pallari & Gargetia relictis, intra breviorē Civitatulæ orbem inclusi, aliquot deinceps dies post exactum induciarum tempus obstinatus resistere. Tum demum fame domiti, hunc quoque locum Veneto magis reliquerunt, quam dederunt. Inde ad arcem oppugnandam ductus miles: eam ab initio Placentinus cum quinquaginta lectis fociis iniverat. Veneti paucis diebus ita illius mœnia bellicis machinis concussere, ut exterior murus ingenti ruina in munitiones usque castrorum prociderit. Quod ipsum quum Philippus rescivisset, Placentino & aliis mandasse dicitur, ut salutem cum hoste pacti, arcem dederent; atque ita septimo mense quam Brixia potitus fuerat, arcem quæ urbi imminet, Venetus recepit. Carmaniola laboriosa defunctus obsidione, ad recipienda oppida urbi circumjecta movere jussus, Salodienses, & omnes Benaci lacus accolæ, qui ad Brixiensem agrum vergunt, antequam ulla eis arma illata essent, in fidem recepit.

*Arx Brixien-
sis quo-
que Veneto
deditur.*

*Pax cum
Philippo
facta.*

Nec ita multo post, Pontificii Legati interventu, pax tentata: oratoribusque hinc inde missis, Ferrariensi conventu ad id ipsum habito, ea his conditionibus Philippo data: ut præter Vallem Camonicam, Brixiam cum suis finibus, atque ea Cremonensis agri parte, quæ perpetua Ollii ripa Brixienfi respondet (cujus longitudo pateret ad quadraginta passuum millia) ille Veneto habendam relinqueret: Allobrogum Dux quæcunque loca occupasset, retineret. Et hæc, ut publice utrinque convenerant, fuerantque Philippi & aliorum signis communita, Pontificis Legatus